

"duces Hierosolymam magnam & amplam ad prædandum.  
 "Inter quos etiam fuit dux quidam ex ducibus Titi, nomine  
 "Sidrus, qui ingressus quæsivit, & invenit domum in urbe  
 "illa magnam & amplam, quam spoliavit. Cum vero vel-  
 "let exire, adspergit parietem, & vidit, quod quædam es-  
 "sent abscondita in pariete, Quare diruit parietem & ædi-  
 "ficium, & invenit conclave repletum libris plurimis, Pen-  
 "tateucho, Prophetis & Hagiographis, ut & libris de Re-  
 "gibus Israel, & Regibus gentium: Invenit etiam libros  
 "alios plurimos ad Israelitas spectantes, nec non descripta  
 "Legis exemplaria correcta, ut & thesauros multos addu-  
 "ctos istuc; invenit quoque varias ciborum species & vi-  
 "num multum. Ibi quoque invenit quendam senem seden-  
 "tem, & legentem in libris. Videns vero dux hunc adspe-  
 "ctum egregium, admiratus est maxime, dixitque, cur hoc  
 "loco sedes, nemoque super te constitutus est. Respondit se-  
 "nex, quod ante multos annos cognoverit, destructionem  
 "Hierosolymæ, quodque ideo extruxerit sibi hoc conclave  
 "& exedram, atque illos libros secum attulerit, ut eos lege-  
 "ret; se enim cogitasse, fortasse se erexitum animam suam.  
 "Exhibuit itaque Deus huic seni hanc misericordiam in o-  
 "culis ducis, ut eduxerit eum cum gloria, cum omnibus li-  
 "bris ejus, qui profectus est cum eo ex urbe in urbem, do-  
 "nec pervenerunt Sevillam; vidit enim Dux, quod senex  
 "ille sapiens & prudens & doctus esset in omnibus discipli-  
 "nis, quare honorifice eum habuit, & aluit eum in domo sua  
 "perpetuo, & informatus est ab eo in omni sapientia. Por-  
 "ro ambo ædificarunt domum magnam muro circumdatam  
 "Sevillæ, in quam deduxerunt omnes illos libros, quæ do-  
 "mus adhuc est in urbe Sevillæ. In illis libris scripta sunt o-  
 "mnia, quæ futura sunt in regnis mundi usque ad adventum  
 "Messiæ nostri. Cum vero in exilium ejecti essemus, acci-  
 "dit, ut liber hic, qui Toledoth Adam vocatur, in nostras  
 "manus venerit, cum aliis pluribus libris, qui ex ista domo  
 "Sevillæ exportati, & in urbem nostram Neapolin, quæ sub  
     Rege